

236 C10 67

67

EXERCITATIONUM PHILOSOPHICARUM
TER TIA ET VICESIMA,
quæ est,
D E

CORPORE.

2 V A M
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi Viri,

D. BURCHERI DE VOLDER, Medicinæ
& Philosophiæ Doctoris, hujusque, ut & Ma-
theseos in Illustri Academia Lugd.
Batav. Professoris Ordinarii.

Publice defendendam assumit

JACOBUS ERCKELENS, DORDRAC. BAT:
Ad diem 30. Ian. loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCII.

Spectatissimo, & omni humanitate conspicuo Viro,
D. JOHANNI van EYSDEN, M. D. Practico expertissimo, Ecclesiæ Christi apud Dordracenos seniori religiosissimo, vigilantissimo, vitrici filio, sed germani fratris instar semper colendo.

NEC NON

Clarissimo, Doctissimoque viro,
D. SALOMONI van TIL, Ecclesiæ Christi, quæ Dordraci est, Pastori fidelissimo, facundissimo, ibidemque Gymnasii Illustris Professori dignissimo, Theologo ut & Philosopho ex summis, Præceptoris suo multum de se merito.

UT ET

Celeberrimo & Acutissimo Viro,
D. BURCHERO DE VOLDER, Medicinæ & Philosophiæ Doctori, hujusque facultatis, ut & Matheseos in Academia Lugd. Batava Professori longe meritissimo, Præsidii suo semper honorando.



Hasce Theses

D. D. D.

JACOB ERCKELENS.
defendens.

EXERCITATIONUM PHILOSOPHICARUM

TERTIA ET VICESIMA,

quæ est,

D E

CORPORE.

THEISIS XVIII.

Verum hac in assertione ulterius confirmanda
ne morer diutius, desinam, postquam rei nostræ
applicero commune hoc axioma. *Id, quo po-*
sito res ponitur, & sublata tollitur, rei istius
constituere Naturam. Posito autem corpore ex-
tensionem poni, apud omnes est in con-
fesso. Sed de hoc lis est, an posita exten-
sione ponatur Corpus. Qua de re cum am-
plior agendi sit futurus locus, ubi examinaturi sumus ea, quæ
circa inane spatum *Cartesio* opponit. *I. Pr.* verbulo nunc mo-
nere sufficiet. Si detur alicubi extensio, eam aut esse substanciam,
aut substantiæ modum; tertium enim procul omni du-
bio ne concipi quidem potest; Sin prius, illa erit substantia ex-
tensta: Sin vero sit substantiæ modus, certe in erit illa substanciæ
extensa; adeoque, quidquid hujus sit, certum est ubicunque
est extensio, illic substantiam extensem esse, hoc est, illic esse
corpus. Ut ut enim nonnulli extensionem corporis negant con-
stituere Naturam, nemo tamen est, quod sciam, qui substanciam,
quæ extensa est, neget esse Corpus. Posita igitur exten-
sione ponetur substantia extensa, sive Corpus. Corpus autem
sublata extensio tolli, vel ex eo liquet, quod si cogitatione
à corpore removeam omnem extensionem, omnem magnitudi-
nem, longitudinem, latitudinem & profunditatem, tollantur
simul

simul omnia, tollantur omnes sensiles qualitates, omnis figura, omne denique id, quod in Corpore percipio. Quare cum posita extensione ponatur Corpus, sublata tollatur, extensio, eaque sola faciet Naturam Corporis.

X I X.

Ex quibus sponte sua sequitur, *spatium*, in quo Corpus esse dicitur, esse idem cum Corpore; cum eandem habeat extensionem, quam Corpus; Nam in eo conceptu, quem voce spatii designo, involvitur magnitudo & figura externa Corporis, sed idem hicce conceptus est conceptus Corporis, quod in eo *spatio* est, modo illud in genere considerem, & ad peculiares hujus Corporis proprietates non attendam. Quare cum voces spatii & Corporis in genere, eidem conceptui convenient, erunt voces idem significantes, quæque idcirco eidem rei, non diversis applicari debeant. Idem ergo erit *spatium* & *Corpus*.

X X.

Quod si sit, per se patet nullum posse dari *inane spatium*. Nam si spatium idem sit cum Corpore, ubicunque certe spatium est, illic Corpus est: & certe ut fieri non potest, ut generales, quas consideramus in Corpore proprietates, alicubi sint, absque ullis particularibus, & viceversa; sic nec fieri potest, ut spatium, quod generatim denotat magnitudinem & figuram externam, adeoque generales proprietates Corporum, sit absque ullis peculiaribus Corporis proprietatibus, & viceversa. Quibus consentaneum est, *spatium inane*, hoc est, magnitudo & figura Corporis, absque Corpore ipso, sive Corpus absque Corpore, manifestam involvere repugnantiam. Verum hoc hic breviter attigisse sufficiat. Necesse enim erit in responsionibus ad ea, quæ contra has assertiones adducit V.III. hanc rem tractare latius.

X X I.

Id itaque nunc restat, ut expendamus, quantum virium sit in illis argumentis, quibus R. Ep. omnia hæc, quæ hactenus stabilivimus falsitatis convinci existimat: ea autem duplicitis esse generis reperio; quædam, quæ *fusa*, & non infeliciter disputata, ait, à Philosophis, quorum præcipua §. II. c. v. breviter enumerat, dein quæ §. III. hisce de suo addit. Singula videamus. Primum, ex iis, quæ ab aliis jam deprehensa sunt, vitium in eo ponit, quod falso censeat Cartesiu, id primum in corpore & cognosci & esse, quod

quod sit extensum; prius enim esse habere partes à partibus) secretas & divisas, quam esse extensum. Sed de eo non multum laborabit Cartesius, utrum Corporis natura in extensione ponatur, an vero in eo, quod habeat partes à partibus distinctas. Existimabit enim, nec opinor injuria, dicere Corpus extensum esse, vel corpus habere partes à partibus distinctas, esse duobus divisionibus loquendi modis, rem unam dicere eandemque. Dico autem partes à partibus distinctas, non vero cum ill. V. partes à partibus secretas & divisas, ne forte hic loquendi modus sicutum alicui faciat, qui distinctas partes etiam in continuo & indiviso corpore facile intelligi putet, non ita vero partes à partibus secretas & divisas. Nec dubito famen, quin hac in re mecum faciat ill. Pr. Neque enim per habere partes à partibus secretas & divisas intelligit, opinor, habere partes vere facta divisione à se invicem separatas, divisasque, sed partes à partibus ita distinctas, ut licet jam secretæ, separatae non sint separari tamen à se invicem, dividique queant. Hoc autem certe non haberent corpora, nisi forent extensa. Tales itaque partes habere, est extensum esse & viceversa, nec alterum ab altero quidquam in re ipsa differt. Quod tamen non impedit, quin rectius dicatur Corporis Naturam consistere in extensione, quam in eo, quod partes habeat à partibus, eo, quo dixi, sensu, secretas, divisasque. Hoc enim posteriori conceptu quidquid dicat V. Ill. conceptus extentionis manifeste est prior, cum hoc ille nitatur. Posterior enim hicce conceptus, non includit, corpus revera dividi, sed posse dividi. Hoc autem posse dividi consequens est alicujus rei, quod in corpore ipso est, & fundamentum est hujus potentie, cur omne corpus possit dividi. Hoc igitur fundamentum, ex quo posse corpus dividi fluit, erit prius in conceptu ipsa illa ad divisionem potentia; omnis siquidem potentia absque fundamento suo considerata mera notio Logica est, quæ in re nihil ponit; Hoc autem fundamentum cur corpus omne possit dividi, manifeste est ipsa extensio.

X X I I.

Deinde arguit, confundi à Cartesio extensionem cum re extensa; quæ si disinguantur, uti par est, & uti factum nonnunquam ab eo est, inventum iri in re extensa, aliquid, in quo extensio recipiatur, ei- que suppositum sit. Cartesium hic confundere, (siquidem, res easdem pro iisdem habere, confundere alteram cum altera dicen-

dam sit, extensionem cum re extensa, verum est. Illa autem
duo à Cartesio nonnunquam distincta fuisse, ut non memini, sic
si hoc fecerit unquam, quin male fecerit, nullus dubito. Licet
enim nullum aterbitum sit, quod non ascribatur rei, & cui
non soleamus addere vocem rei, sive substantiæ, ut cum rem
sive substantiam dicimus cogitantem, extensam, ineptum tamen pror-
sus foret, id quod hic rem sive substantiam dicimus concipere
tanquam aliquid, ab ipsa cogitatione, extensione diversum,
illis tamen ambibus commune. Hoc enim si fiat, sequeretur
tam extensionem, quam cogitationem esse accidentia illius com-
munis substantiæ, ideoque eandem esse rem, in quam vel ex-
tentio vel cogitatio possit cadere; adeoque rem extensam & co-
gitantem, Corpus & mentem esse substantiam ejusdem naturæ
solis hisce extensionis & cogitationis accidentibus secretam, quod
non facile quis dixerit. Vox certe hæc rei sive substantiae non tam
ad ipsas res extra nos positas pertinet, quam ad nostrum res con-
cipiendi modum, nec tam denotat, quidnam in ipsa re sit, quam
quo modo nos rem concipiamus. Certe ubi substantiam extensam
& cogitantem, concipio, illa vox substantiæ, nihil designat, quod
idem in re extensa & cogitante reperiatur, sed solummodo nos
tam extensionis, quam cogitationis naturam concipere se solis,
quod ipsis rebus profecto plane externum est. Quod ut pateat
evidenter, concipiamus Deum O. M. produxisse duas substan-
tias toto genere à se invicem distinctas, ita ut nihil reale sit in
una, quod etiam sit in altera. Hoc enim fieri posse cum non repu-
gnet, imo cum in substantia cogitante & extensa hujus quod dico
habeamus exemplum, hæc assuntio non erit, nisi fallor, μέρα λίαν
αἱ τρεῖς. Nonne itaque hoc in casu utraque hæc concipietur se so-
la? Nonne utraque dicetur res sive substantia? Quæ tamen binæ
cum in se nihil habeant commune, ut supponimus, manifestum
erit voces rei & substantiae non designare aliquid ab attributis rei
& substantiæ diversum præter modum, quo à nobis concipitur,
qui modus concipiendi ad rei naturam certe non pertinet. Quid-
quid enim hæc voces designant, idem quid designant, quod cum
in ipsis rebus non sit, erit tantum in conceptu nostro.

X X I I I.

Nec infitior tamen, quin innumeris in casibus ea, quæ rebus
adscribuntur, recte distinguantur ab ipsis rebus, quibus adscri-
bun-

buntur. Hoc enim ut locum habet in omnibus illis, quæ rei ad
sunt ab externa causa, sic nequaquam in illis, quæ rei ad sunt
ab ipsa rei natura: recte enim si quis agat de motu rei extensæ,
motum ab ipsa re-extensa distinxerit. Hic enim cum à causa
externa rei ad sit poterit non adesse. Idem autem attributis ~~essentiis~~
~~libus~~, si ita loqui liceat, quæ proprie sunt attributa, cum priora
tantum sint accidentia & modi, applicare velle per quam foret
absolum. Quod enim ex rei natura fluit, estque idcirco rei es-
sentiiale, sine eo illa res nec concipi nec existere potest. Hoc ipsum
rei naturam involvit, à qua idcirco male distinguitur. Quare
aut *extensio non est essentiale attributum rei extensæ*, aut si est, ut
hoc urget *Cartesius*, male ab illa re distinguitur. Quod ipsum
Dialectici (licet illorum abstractis cogitandi modis originem
suam debeat, quod ait *V. Ill. inventum iri in re extensa aliquid, in*
quo extensio recipiatur, eique suppositum sit) agnoverunt satis per-
spicue, dum in *Subjecti & Adjuncti* definitionibus expresse ca-
vent, ut illud, quod *subjecto* adjungitur sit *præter essentiam*. Illa
enim, quæ ex *subjecti* essentia fluunt, non tam adjunguntur sub-
jecto, quom ipsum subjectum constituant: male itaque cogi-
tatione nostra, abstrahimus instar accidentium essentiam rei aut
attributa rei essentialia, sive ex Natura rei fluentia, & cum ea
reciprocantia ab ipsa Natura rei. Profecto si omnia attributa
contendamus distingui à re, cujus sunt attributa, adeoque &
extensionem à re quæ extensa est, velimusque illam rem, ut
loquitur *Ill. Ep. esse aliquid, in quo illud attributum sive in nostro*
casu extensio recipiatur, eique suppositum sit, sequetur, illum qui
hoc attributum, extensionem ex. gr. novit, non nosse tamen
rem extensam, utpote quæ ab extensione distincta est. Novit
idcirco accidens tantum aliquid Corporis, ipsum Corpus non
novit. Imo quod magis est, nulla unquam ratione ad substantiæ
hujus notitiam pervenire poterit. Nam si vel maxime sup-
ponatur pervenisse ad aliquam hujus substantiæ, quæ extensa
est, notitiam, fieret hoc certe per aliquam notionem, quam in
mente efformaret, & qua attributum aliquid hujus substantiæ
perciperet. Hoc autem rursus attributum, siquidem omnia at-
tributa distinguantur à re, cuius sint attributa, necessario con-
cipietur diversum à re quæ illud recipit, eique supposita sit. Non
dum ergo habemus aliquam substantiæ notitionem, utpote quæ
pari

pari jure ac ab extensione ab hoc altero attributo distinguitur.
Redit itaque de natura substantiae ipsius eadem quæstio. Qua
ratione manifestum sit, nos necessario aut progressuros in infi-
nitum, quod absurdum est; aut tandem per venturos ad aliquod
attributum, quod cum re, cujus est attributum, unum idemque
sit, quodque idcirco cum ipsa re reciprocatur; quale attributum
Corporis Cartesius contendit esse Extensionem, Mentis Cognitionem.

Annexa Respondentis.

I.

*Motus non fluit ex natura corporis sed tantum in corpo-
re modus est.*

II.

*Nulla motus causa assignari potest præter Deum, qui cer-
tam quandam quantitatem produxit, an vero semper
eandem sive aqualem conservet, incertum est.*

III.

*Omne corpus cuius particulae juxta se invicem quiescunt
durum est.*

IV.

Illa autem quies particularum non est unica causa duritiei.

V.

Divisibile est omne corpus in particulas numero infinitas.

VI.

Infinitum infinito potest esse majus.

VII.

*Vnde liquet omnes illas ratiocinationes, quæ ex eo quod
infinitum infinito majus esse non possit, deducuntur,
mancas esse.*

VIII.

Mundus est indefinitus.

F I N I S.



